151 32

Nobilissime Amplissimeq; Domine

Ante aliquot hebdomadas bis Tibi scripsi, vnisq; meum de Phi-
losophia Pythagorica adsociavi libellum. Non dubito, quin et is,
et illae meae litterae jam ad te sint perlatae. Interea accipio
Tuas optimas jucundissimasq; per Valerium nostrum, breves
quidem verbis, at egregia Tua erga me voluntate prolixissimas,
signumq; simul ejus voluntatis Tuae pulcherrimum, librum, quem
de causa Moguntina optime eruditissimeq;, sicut soles omnia,
conscripsisti. Pro quo eximio dono gratias Tibi ago maximas, utq;
illum erga me animum servare porro velis, enixissime oro.
Imo quia singularis Tua bonitas humanitasq; me jam fecit
audaculum, non meam solum, sed illius quoq; ago causam, qui
has tradet Tibi, Benedictus Carelström vocatur, juvenis egre-
giae indolis, ac litterarum amantissimus, quem in numerum
accipias eorum quaeso, quos consilio, auctoritate, eruditione ju-
vare in studiis suis consuevisti. Meretur hoc longum ejus
desiderium, cultusq; ille, quo Te pridem prosequitur, qui et uni-
ca fuit causa deserendae patriae, itinerisq; ad Vos suscipiendi.
Et quia suopte ingenio ad conciliandos sibi viros bonos scio
factum, nihil dubito, quin sit apud te inventurus gratiam,
quam quaerit. De caetero te expectare Arrianum & Mauri-
tium nostrum jubeo cum mercatoribus, ex his nundinis desce-

325v

dentibus, diuq ac comodissime valere in utilitatem literarum decusq nominis Germanici opto vouéoq. Vale. Scr. Upsaliæ. a. d. 7 Octobr. Ao. MDCLXIV.

Nob. Amplissimoq Nomini Tuo

Summa observantia cultuq perpetuo addictus

J. Schefferus

Incomparabili Viro
Domino HERMANNO CONRINGIO
Medicinæ, Politices, omnisq; elegantioris eru-
ditionis Doctori ac Professori longe celeberri-
mo, amico suo multis nominibus suspiciendo

HELMSTADIUM.